



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Iacobi Llobetii Leodiensis E Societate Iesv. Specvlvm
Ecclesiasticorvm, Ac Religiosorvm.**

Llobet de Lanthin, Jacques

Leodii, 1640

§. Primus. De nomine Horarum Canonicarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47105](#)

C A P V T X I.

De horis Canoniciis.

CVm beneficium Ecclesiasticum sit propter officium, aliquæ de eo erunt agitandæ quæstiones. Et primum quidem de horarum nomine; tum de earum ordine, ac numero; tum etiam de tempore, quo decurri debent; de loco ac situ corporis conueniente; tum à quibus, & quo sub onere: tum denique de ratione, modoque debito ut illi pracepto fiat satis.

§. PRIMVS.

De nomine horarum Canonicarum.

HOræ dicuntur esse preces, quæ ex Ecclesiæ institutione ad Deum laudandum, opemq; diuinam implorandā certis, statisq; horis exsoluuntur.

Dicuntur horæ vel ab orando, vt vult Zabarella; cui etymologiæ reclamat aspiratio; vel quod vero similius est, ab horis, quod pio Ecclesiæ more prescriptis, definitisque horis, nocturnis, ac diurnis recitari soleant.

Appellantur autem eæ Canonicae, hoc est regulares, quod iuxta Canonum Ecclesiasticorum traditionem, ac regulam earum orationum pensum, à Clericis sit persoluendum.

Vel si maiis, dic esse Canonicas, quod à Clericis Canonicis

Canonicis in templo decantari soleant, quod facit ad decus ac laudem Canonici instituti, quod primum diuinis, publicisque Dei sui encomijs famam, nomenque dederit.

Et quia huius nominis appellationem attigi, non possum quin verbulo insinuem, aliam atque aliam fuisse. Primum enim dicti *κοινωνικοί*, Cœnonici, hoc est, in commune viuentes: deinde *κανονικοί* id est regulares, quod sub vna, eademque regula impensis communibus vitam agerent. Tenuit ea viuendi ratio aliquot sæcula. Certe Pontifex Vrbanus, qui Ecclesiæ clauum regebat circiter annum ducentesimum vigesimum quartum, in Epistola sua decretali, ait. *Vita communis, maximè viget inter illos, qui in sortem Domini sunt electi*, id est, inter Clericos.

Tales Ecclesiæ bonæ Matri peperit Augustinus, tales habuit Gregorius Magnus, tales aluit Germania ferè tota, huius instituti maximè tenax, donec tandem senescente mundo, vnaque inclinata pietate, se se remisit ille ardor animi, & communis ea vi-
tæ ratio in odium, ac contemptum est adducta.

Certe Trithemius Abbas in Chronicis ad annum nongentesimum, septuagesimum septimum scribit sub Theodorico Archiepiscopo Treuirense Canonicos plerosque abiecta vita regulari, quam eorum Maiores eo usque coluerant, delisse esse Regulares, & factos esse nomine, imò & re etiam ipsa

Ggg 3

sæculares:

422 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,
sæculares : quod verumne sit hîc non dispuo , ne-
que eam illustri illi Ecclesiæ labem inuri meo cal-
culo velim : maneat penes Trithemium ea fides, ac
censura ; sat tamen scio , & indoleo , hac quaspira-
mus ætate , esse quamplurimos , qui ut nomine sint ,
& esse debeant , Canonici ; hoc est vitæ regularis ,
reuera tamen ipso opere , & irregulares , & sæcu-
lares esse conuincuntur , imò & illis ipsis deteriores ,
(quæ magna est huius æui macula .) A qua fortè re-
lictum & illud , vt in plerisque Ecclesijs Canonici
per se diuinum officium in choro non cantent , sed
per suos vicarios , id muneris exequuntur ; quod etsi
primum non caruerit aliquo næuo , modo tamen
cum illud è Petri sede , ac specula despiciant , ac
dissimulent summi Ecclesiæ Præsides , ego damna-
re nec volo , nec possum . Et hæc de horarum Cano-
nicarum nomine dicta sint , ad earum numerum
venio .

§. 2.

*De numero & ordine horarum
Canonicarum.*

Diuinum Officium in septem omnino horas
distribui solet , cuius numeri rationem hîc
inquirimus . Ea authoribus alia est , atque alia .

Sunt enim qui septem horas referant ad primam
vniuersi molitionem , quam septem diebus ab-
soluit Deus : dies quippe sex dati huic operi , septi-
mus